

(3.) A quibus ad Judicem deducendus est, scilicet, à lictore, vel carnifice aut ejus ministris: Et sane si Judex demandavit carnifici, vel lictori, reum captivum vincire & arctè custodire, ne elabatur & effugiat; Inde etiam is ad mandatum Judicis eundem tenetur coram Judicio vinctum sistere. Ipsius namque munus non finitur prius, quam captivus è custodia dimittitur, quod fit vel absolvendo eum ab accusatione, vel condemnando illum ad poenam, ut ita carceris molestiis liberetur.

(4.) Quando verò reus in Judicio ad articulos criminis perpetrati respondere debet, tum solent vincula relaxari, quandoquidem istæ confessio incarcerati ultima est; Inde etiam in sententia hæc verba poni solent: Nachdem der arme Sünder vor diesem peinlichen Halsgericht frey und ungebunden öffentlich bekant: ut ita hæc confessio non videatur coacta, nec violenta: Sed libera & spontanea.

ARTICULUS LXXXVII.

De proclamatione reorum.

Vom Beschreyen des Beklagten.

Nit dem Beschreyen der Ubelthäter / soll es im selbigen Stück auff Gegenwertigkeit und Begehr des Anklägers / nach jedes Gerichts guter Gewonheit gehalten werden: Wo aber der Beklagte unschuldig erfunden wird / also / daß der Ankläger dem Rechten nicht nachkommen wolte / und nicht desto weniger der Beklagte Rechts begehret / so wäre solches Beschreyens nicht noth.

AD ARTICULUM LXXXVII.

ARGUMENTUM.

De proclamatione rei accusati ad requisitionem & instantiam accusatoris, illud servandum est, quod cujusque loci consuetudo approbat, quod si vero reus jam antea innocens deprehendatur, ita, ut accusator jus suum persequi nolit, reus in eadem justitiam sibi administrari petat, tum proclamatione ista non erit opus.